



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

Cap. I. De necessitate gratiæ, ad assequendam cognitionem veritatum
naturaliu[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

LIBER IV.
DE GRATIA.

CAPUT I.

De necessitate gratia, ad assequendam cognitionem veritatum naturalium.

RESOLUTIO I. *Potest homo in natura lapsa, cum solo concursu Dei generali, cognoscere multas veritates speculativas ordinis naturalis, non tamen omnes collectivè sumptas.*] PRIMA PARS PROBATUR, quia cum homo in dicto statu polleat sensibus tam internis, quam externis, itemque intellectu agente & possibili, nulla ratio est cur non possit propriis viribus, cum solo concursu generali, & sine speciali gratia auxilio, multas veritates speculativas ordinis naturalis assequi, quales sunt quæ de Deo ut uno tradi solent, de quibus *lib. I. actum est.*

Dices, pendet à speciali Dei providentia, quod objecta ita homini occurrant, ut eum in veram cognitionem, non in errorem inducant. Verùm hoc sine fundamento asseritur, loquendo de singulis veritatibus naturalibus, perspicuum enim est supposito dono creationis, & conservationis, debitam esse homini talem providentiam, ut cum solo concursu generali, quamplures veritates naturales acquirere possit.

Secunda pars ostenditur, quia etsi homo habeat sufficientes vires, quantum est ex parte intellectus, ad veritates omnes speculativas ordinis naturalis, etiã collectivè assequendas, cum tamen ea sint innumeræ, & plerumque intellectu difficillimæ, fieri non potest quod in hocce naturæ statu, variis curis & incommodis circumsepto, eas omnes collectivè sumptas, sine speciali Dei auxilio, sibi comparet.

Dices,

Dices, homo naturaliter appetit omnes scientias, ergo potest viribus propriis eas omnes assequi, alias appetitus ille sciendi frustra ipsi esset inditus. *Respondeo* distinguendo consequentiam, potest viribus propriis omnes eas assequi secundum quid, seu quantum est ex se, concedo. Simpliciter & spectatis omnibus circumstantiis, nego. Unde ad probationem dico, ut talis appetitus non sit frustraneus, satis esse quod homo possit naturaliter aliam, & aliam subinde cognitionem assequi, quantum huius vitæ ratio patitur.

RESOLUTIO II. *Potest homo in natura lapsa, cognoscere multas veritates morales ordinis naturalis, sine speciali gratia, aut directione Dei, non tamen omnes.*

PRIMA PARS patet in primis ex Scriptura, siquidem *Rom. i.* Apostolus ait, Philosophos fuisse inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, eum tamen non glorificaverunt. Noverant ergo eum esse glorificandum, alias non peccassent, eum non glorificando; quia sicut peccatum quodlibet est voluntarium, ita præsupponit iudicium aliquod de re facienda.

Secundo probatur ratione, quia negari non potest, quin multæ veritates morales sint valde proportionatæ lumini naturali nostri intellectus, quales sunt, verbi causa, parentes hinc & nunc esse honorandos, eleemosynam huic pauperi in necessitate constituto, esse erogandam. Aliud verò certum est in earum cognitione non adeò graves semper occurrere difficultates, ut naturali industria superari non possint. Quidni ergo poterit intellectus noster propriis viribus, cum solo concursu ordinario, plurimum eiusmodi veritatum cognitionem assequi?

Dices 1. ex Paulo 2. *Cor. 3.* Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Verùm hoc loco Apostolus loquitur de cogitationibus, quæ ad veram pietatem & salutem pertinent, ut explicat August.

lib. de dono perseverantia cap. 13. & alias. Quomodo etiam intelligenda sunt Concilia, & Patres qui simile quid dicunt.

Dices 2. Multi viri pii & sancti sæpe implorant auxilium divinum, ad veritates morales cognoscendas, ergo agnoscunt se ad hoc eo indigere. *Respondeo* eos optimo consilio divinum auxilium implorare, tum quia propter varias circumstantias occurrentes, difficile est sine peculiari directione Dei, rectè semper judicare de rebus agendis in particulari; tum quia veritatum moralium cognitio non potest conducere ad salutem, sine speciali Dei auxilio.

Secunda pars ostenditur, nam cum homo nequeat in natura lapsa, cognoscere omnes veritates speculativas, ut dictum est, multò minùs poterit cognoscere omnes practicas; eò quòd intellectus practicus, tum propter passionès appetitus sensitivi, tum propter varias occurrentes circumstantias, difficiliùs veritatem attingit, quàm speculativus.

Dices, homo cognoscit naturaliter omnia principia universalia ad mores spectantia, qualia sunt, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Parentes sunt honorandi, &c. Ex his autem principiis facile est, vi ipsius luminis naturalis, deducere conclusiones particulares. *Respondeo* hoc verum esse in plerisque casibus, non raro tamen tot difficultates sive internæ, sive externæ occurrunt, ut necessarium sit speciale aliquod auxilium Dei, ad rectum iudicium ferendum de agendis in particulari.

CAPUT II.

De necessitate gratia, ad bene operandum moraliter.

RESOLUTIO I. *Potest homo in natura lapsa bene operari moraliter.* EST DE FIDE, contra recentiores hæreticos qui docent hominem in hoc statu nihil boni operari posse, imò omnia illius opera in se inquinata, & verè peccata esse. Refelluntur autem primo ex Scriptura, quæ modo ad bona opera nos
cohor-